

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Quæstio 12. An apud aliquos Authores probabile sit, licitum esse ineibriare  
aliquem, qui decrevit magnum aliquid malum patrare, si nequeat alio  
modo impediri? Soluuntur objectiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

QUÆSTIO XII.

An probabile sit, licitum esse inebriare aliquem qui  
decrevit magnum aliquid malum patrare,  
si nequeat alio modo impediri?

R Espondet, cum aliis, Lessius de justitia lib.  
4. cap. 3. dub. 4. n. 33. his verbis: *Hoc casu  
videri licitum provocare ad æquales haustus, & alte-  
rum inebriare, hoc est, potu consopire.* Idque probat  
hac ratione: Licitum est suadendo alium indu-  
cere ad minus malum, ut impediatur à graviori  
malo quod admittere decrevit, ut docet com-  
munior opinio: Sed in hoc casu nihil aliud fit  
quam suadere & inducere ad tales ebrietatem  
ut gravius malum evitetur: ergo hæc inductio  
non est illicita. Favet huic responso Cajetanus  
in 2. 2. quæst. 150. art. 2. & Sylvester in Sum-  
ma, verbo *Ebrietas*, ubi docent non peccare  
eum qui per modum medicinae necessariæ a-  
lium inebriaret ad corporis ægritudinem depel-  
lendam, quia is non tendit in potum ut delecta-  
bilem, ideoque non peccat contra temperan-  
tiam. Unde inferendum videtur à fortiori idem  
licere ne anima in statum multo deteriorem  
prolabatur. Repugnat verò huic sententiæ Lay-  
man tom. 1. lib. 3. sect. 4. n. 6. negans licere a-  
lium inclinare ad minus malum, si non sit pars  
mali majoris ad quod alius se de facto determi-  
navit. Responderi tamen possit minus malum  
semper in majori eminenter contineri; ideoque  
non desunt qui putant sententiam illam posse  
probabilem judicari.

Sed potius existimo oppositum dicendum præ-  
fertim

120 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate  
sertim de ebrietate formalis Moveor: quia for-  
malis ebrietas censetur esse intrinsecè mala, ac  
proinde numquam licita; cùm per eam homo  
contra naturam reddatur similis bruto in actio-  
nibus suis, etiam dum vigilat. Dum dormit, si-  
milis quidem est, at juxta naturam: etenim  
somnus tam uniusquam alteri necessarius ad vi-  
tam conservandam, utriusque consequenter na-  
turalis est.

Dices, homo privatur æquè usu rationis per  
somnum ac per ebrietatem, ergo sicut licet  
potest etiam arte procurare illum, ita & poter-  
it hanc procurare.

Respondeo, negando antecedens: per sopor-  
rem sic capitur quis mente, ut nihilominus  
queat ad eam quovis momento redire, nempe  
si expurgiscatur aut ab aliquo excitetur, quod  
locum non habet in ebrio.

Instabis, minus malum est privatio ad tem-  
pus rationis, quam patratio v. g. homicidii,  
ergo ad hanc avertendam licitum erit inebriare  
eum, de quo in quæstione.

Respondeo, negando sequelam: privatio ra-  
tionis quamvis secundum se non sit peccatum,  
tale tamen est efficere eam per intemperantiam  
aut modum à natura alienum: nam per ebrie-  
tatem (ut ex ante dictis patet) redigimur ad ta-  
lem statum, ut pro aliquot horis absolutè nec  
salutem nostram operari, nec actionem ullam  
humanam, quantumvis necessariam, ritè exer-  
cere valeamus. Non sunt autem facienda mala,  
ut eveniant bona.

Adde, quod scelus ab alio designatum, vi-  
deatur in casu impediri posse, offerendo illi po-  
tationem somniferam, absque eo quod hoc ad-  
vertat.

QUÆSTIO